

FK 133.  
928

Ha  
556

*De improbo labore ab otium et liber-  
cussore adhibenda.*

X 2316868

HOC PROPTER COMMENDANDI  
MVNVS

VIATICO ITER  
AD MISNIAE ATHENAS,  
LIPSIAM,

**IO. FRIDERICI  
STEINBACHII,**

AVROBACENDIS INTER VARIOSES,  
IVVENIS DILIGENTIAE EXIMIAE, INDOLIS-  
QVE PROBAE,

SINGVLARI INDVCTVS AMORE  
REMVNERATVR

M. IOANNES DOPPERTVS, Rector  
Schol. Sneeß.

IMPRESSIT HENRICVS FVLDA.



3



**V**Ti artes liberales, et sapientia mortalibus propria amplo circumscribitur spatio, sic improbus requiritur labor, si quis velit per artes ad exoptatum gloriae fanum contendere, quod omnem detestatur segnitium, illisque tantum aperitur, qui inter sudores occultos scrutantur thesauros, suoque robore profundos venarum meatus tandem feliciter contrectant. Divina mortalium mens infinita rerum gaudet multitudine, pectus laudum concentu exuscitatum Alexandri herois permulcetur exemplo, illi sicuti non unus sufficebat orbis, sic animus non in una acquiescit re, sed per uniuersum migrat orbem, suisque cogitationibus vel ipsa petit astra, caelique structuram admirandam contempletur. Pectus generosum labores suos iactat antagonistas, semperque amat cum his depugnare, certaminis arena stimulat animum tam diurno, quam nocturno tempore; contendit non pro apio, ut loquar cum Dione Chrysostomo, mulierum instar, neque pro oleastro aut pinu, sed pro felicitate aut virtute, quamdiu hominis supplet conditionem. Non vero tum ad certamen ineundum excitatur, quum praedixerint Elaei aut Corinthii, vel Thessalorum communitas, quam nequiquam reformidat, sed ultro proyocabit omnes ex ordine, et similia nunquam graua, sed valde sibi leuia pronunciat. Virium defectus facile per animi generositatem suppletur, et in ipsa rerum mole robur maius sumit incrementum, et quemadmodum cervis nihil profestent cornua late protensa, si indoles deesset praeclara, eosque facile fuga ab ardore defendendi arceret; pari modo nil iuarent hominem lacerti Milonis, nec humeri Atlantidis aliquid valerent, si mentis laboret alacritate, cunctisque gloriae stimulis priuetur. Sapienter quondam edixit Cicero, tanta esse cuiusque bona vel mala, quantus est animus, qui ea sustinet, nihilque valere valida munita, ubi cessent generosorum spirituum fomenta. Audaces fortuna adiuuat, manetque ratum et firmum Scipionis Africani in arena consilium, cum ancipiti fortunae aleae imminens pugna exponeretur: audendum atque agendum, quandoquidem fortuna virtutem comitatur, sibi que vinculo arctiore victoriam adstringit. Respice modo Miltiades et Themis-

Themistocles, Lucullos et Alexandros, confer cum pristina  
aetate tempora hodierna, videbis utrinque, quod forti ani-  
mo, et honesta petenti, grandiaque audenti, neque caelum,  
neque homines deesse possint. Tuam mentem excelsae  
fortitudinis radii Serenissimorum heroum, Principis Eu-  
genii et Malburii inter Britonas, qui in sui admirationem  
rapuerunt praefens aevum, ferosque rapient posteritatis  
furculos, novo perstringant lumine, utriusque ferreum  
pectus prostravit superbos superbi hostis conatus, tandem-  
que Europae aequam pacis lancem, Hesperia quamvis li-  
vida, et per versipellem Purpuratum adhuc consilia, com-  
muni libertati noxia, cudente, conciliavit. Prisca Quiri-  
tium gens per labores maximam orbis terrarum partem  
subegit, et ad ipsas Herculis columnas, et ultra Caucasi  
iuga victricia protulit arma, columnae in Aegypto, et  
obelisci stupendae magnitudinis conatus extra orbitam  
communem proloquuntur, et tanquam mortui testes in-  
ter vivos, demortuorum Patronorum gloriam et victo-  
rias, inter infaustum Antonii casum, et inclementes Cle-  
opatrae aspides sacra litterarum forma depingunt. Quo de-  
cantata Romuli posteritas semper haberet milites, ad agmi-  
na laborum sufferenda idoneos, simul proceritatis rationem  
habuit, quae tironum proceritas ab urbe condita accurate  
fuit exacta, ita, ut senos, vel certe quinos pedes et decem  
uncias habere probarentur. Eandem fere exigunt proce-  
ritatem Imperatores, Valentinianus et Valens in L. 3. C.  
Theod. de tiron. qui delectum haberi iubent in quinque  
pedibus et septem unciis consuetis. Huc pertinet illud ae-  
nigma Symposii de milite podagra laborante, a Iacobo Cu-  
iatio Obs. L. XXI. c. V. allegatum:

Bellipotens olim saevis metuendus in armis  
Quinque pedes habui, quos nunquam nemo negavit:  
Nunc mihi vix duo sunt, inopem me copia fecit.

Et id quoque, quod legimus scriptum inter sententias Adri-  
ani Imperatoris: Icgimae staturae hominem, id est, quin-  
que pedum et sex unciarum, qui lege optabat inter Praetori-  
anos iubet Adrianus exspectare tertium stipendium, hoc est  
ter-

FK Tha 538

tertium annum, et interim militare inter urbanas cohortes. Nos in Academiae candidato non tam respicimus ad proceritatem, sua alias laude minime carentem, valdeque commendabilem, quam potius ei commendamus labores et sedulitatem, quam confectetur necesse est, si velit perlatum disciplinarum pelagus felici sidere navigare, tandemque post varias exantlatas tempestates vel in patriae portu, vel quocunque trahunt fata, navigii, per undas contriti, rudera tuto locare. Modo Lectoris propensione commendamus iuvenem nobis ob diligentiam, quam semper Musis approbavit, et honestam vitae rationem, quam pectori firmiter inculpsit, gratum acceptumque, IO. FRIDERICVM STEINBACHIVM, Aurobaco Variscum, iuvenem ex sacro sacerdotum sanguine ortum, quem primum Reverendi Parentis IOANNIS, viri utriusque muneris, quod coetum Deo coactum, scholamque moderatur, cum summa laude admoti, industria ad cuncta honestatis, et artium liberalium fundamenta effinxit, ac deinde nostrorum magistrorum sedulitas magis perpolivit. Per duo ferme lustra nostrum frequentavit Lyceum, munereque alumni bene laudabiliterque est perfunctus, pietatem fulcri loco habuit, quo reliquae sustentantur disciplinae, animum adiciit ad hauriendas largø hauustu Graecorum, pariter ac Latinorum delicias, ad eas addiscendas disciplinas lingvasque, quae a Theologiae cultore requiruntur, quasve sancta sapientia tanquam peculium iure sibi assignat. Restat, ut fundamento rite iacto altior imponatur structura, et inferiora subsellia cum longe eminentioribus commutentur, quod desiderium facile iuvenis litteris perpolitus a Lipsia impetrabit, quae urbs dudum inter Misniae urbes existit architectrix omnis elegantiae, chorique doctrinarum. Nos STEINBACHIVM, veterem alumnum, rita mactamus votorum religione, eiusque propositum confirmamus; nos illi a caelo cunctam apprecamur felicitatem, ac rei communi, Christi coetui, laribusque paternis tandem aliquando talem pollicemur virum, qui per labores nomen propaget STEINBACHIANVM, etiamnum Lipsiae lucido effulgens splendore, tandemque post certamina pulveresque supremo ferto a caelesti arbitro et brabeuta coronetur. P. P. Sneebergae Dominica Rogate Anni Dionys. 1722.

X 25A 6868

HOC PROPTER COMMENDANDI  
MVNVS

VIATICO ITER  
AD MISNIAE ATHENAS,  
LIPSIAM,

IO. FRIDERIC  
STEINBACHII,

AVROBACENSIS INTER VARIOS,  
IUVENIS DILIGENTIAE EXIMIAE, INDO  
QVE PROBAE,

SINGVLARI INDVCTVS AMORE  
REMVNERATVR

M. IOANNES DOPPERTVS, Rector  
Schol. Sneeb.

IMPRESSIT HENRICVS FVLDA.

